

nem, *usque ad locum Sarthan*¹⁵⁾, quod est tribulatio eorum. Apparent^{a)} enim procul etiam his, qui sufferunt tribulationem.

Quid admiramini? Non reprehendunt, sed addere volunt, unde magis mirentur. Mirabile iter euntis in celum, sed mirabilior reditus erit. Quam beati, quos assumet tunc ad se ipsum. Sic veniet. Quando veniet? *Non est vestrum nosse tempora*¹⁶⁾, ne dixerimus: *moram facit venire*¹⁷⁾.

Ceterum dissimulare, fratres, non audeo, unde plurimum doleo, praesertim videns eos dissimulantes, quos nullatenus oporteret. Ecce enim quartus e celo cecidit Cato¹⁸⁾, novo genere prophetandi sine certa vel propheticiis aliis simili^{b)} revelatione, ex habundanti scientia vel intelligentia scripturarum, quas sibi invicem conferunt, de adventu regni dei et prima quadam resurrectione¹⁹⁾ his qui pruriunt auribus²⁰⁾ iam non modo susurrans, sed blasfemas disseminans novitates. Ex iudeis orta persona est, in iudaismo, quem necdum satis evomuisse videtur²¹⁾, annis pluribus educata, que, sicut per eos, qui cercius cognoverunt, tandem nobis innotuit, licet non solus ipse, sed etiam sui panes suos potissimum a vobis et suas actenus quam studiose poterant absconderint aquas²²⁾. Nec mediocrem ei confert auctoritatem ipsum barbarum nomen; dicitur enim Ioachin. Quod de nullo diebus nostris meminimus nos audisse, ut in baptismo retinuerit nomen, quod in iudaismo prius habuerat. Multorum etiam habitus noster ei conciliat^{c)} animos et quod cisterciensis ordinis, cum voluerit, monachum sese exhibet et abbatem. Nam et olim quidem extitit, sed ab annis iam . . .

(Damit endet der Text fol. 126^v unten; danach ist ein Blatt herausgeschnitten, fol. 127^r beginnt eine andere Predigt.)

a) *korr. aus* Apparentis.

b) *simili ist einkorrigiert.*

c) *consiliat mit*

ausradiertem s.

¹⁵⁾ *Josue 3, 16.*

¹⁶⁾ *Act. 1, 7.*

¹⁷⁾ *Matth. 24, 48; Luc. 12, 45.*

¹⁸⁾ *Juvenal, Sat. II, 40: tertius e celo cecidit Cato; vgl. o. S. 520.*

¹⁹⁾ *Apoc. 20, 5 f.*

²⁰⁾ *2. Tim. 4, 3.*

²¹⁾ *Vgl. Prov. 26, 11; 2. Petr. 2, 22.*

²²⁾ *Vgl. Prov. 9, 17; s. o. S. 520.*